AUTHOR:

SCHONAICH, GUSTAV EMIL ADOLF

TITLE:

QUAESTIONES JUVENALIS

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1883

Master Negative #

93-81313-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Schönaich, Gustav, 1868-
Quaestiones Iuvenalianae; dissertatio inauguralis quam...defendit ... Gustavus Schönaich...
Halis Saxonum, typis Ploetzianis, 1883.
39 p. 21½ cm.

Thesis, Halle, 1883.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/22/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



QUAESTIONES IUVENALIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT ET UNA CUM THESIBUS ADIECTIS
DIE XXI MENS. DECEMBRIS MDCCCLXXXIII HORA XII
PUBLICE DEFENDIT

GUSTAVUS SCHÖNAICH
SILESIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
HUGO HOFFMANN, CAND. PROB.
GOTTHARDUS HEUBER, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN)
MDCCCLXXXIII.

LUDOVICO GUILELMO HASPER

GYMNASII EVANGELICI RECTORI

HAS PRIMITIAS PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. De scholiorum genere deteriore.

Scholiorum in Iuvenalem duo genera exstant, quorum alterum satis vetustum, scholia Pithoeana, quae vocant, in codicibus Montepessulano et Sangallensi[1]) continetur et ad explicandum poetam et textum restituendum omnium consensu plurimum valet, alterum autem, quod multo recentius est et fere omni doctrinā carere videtur, viri docti O. Jahnium secuti Cornuto cuidam tribuere solent. Iam de hoc scholiorum genere pauca, quae mihi accuratius ea perscrutanti apparuerunt quaeque pro certis statui posse puto, proferam. Quamquam enim O. Jahnius et C. Fr. Hermannus de auctore et tempore huius

---

[1]) Codicem Sangallensem ex ipso Pithoeano descriptum esse, id quod O. Jahnio (prolegg. ad Persium p. 156) persuasum erat et quam sententiam nuper Mathias (‚De scholiis Iuvenalianis, Halis 1875' p. 1) denuo repetiit, viri docti, quantum video, falso putant. Primum enim nonnulla scholia, quae codex Sangallensis integra servavit, in Pithoeano aut omnino desunt aut mutilata inveniuntur (II, 99. IV, 85. VIII, 253), tum e scholio ad VI, 542 adscripto apparet nullo modo unum eundemque librum manuscriptum in utriusque librarii manibus fuisse. Nam ille, qui in codice Pithoeano omissis verbis ‚cum Gallus-susurrando' haec verba tantum ‚sub obtentu-exponentes' descripsit, sine dubio textum scholiorum ex libro quodam manuscripto hausit, in quo interpretamentum nostrum in has duas partes ‚cum Gallus-susurrando' et ‚sub obtentu-exponentes' distractum et fortasse separatim utrique margini appositum legit, quo factum est, ut primam partem scholii neglegeret et prorsus omitteret. At in illius manibus, qui duo scholia sub lemmate ‚cum dedit' ab O. Jahnio in rectum ordinem redacta tam perverse turbavit: ‚scilicet - censuerunt . cum Gallus mendicat.', liber manuscriptus fuisse videtur, in quo duo illa interpretamenta in has duas partes distracta et fortasse separatim in utroque margine adscripta erant ‚cum Gallus-mendicat' et ‚scilicet censuerunt', quas stupidus librarius tam mire confudit.

commentarii valde inter se dissentiunt, tamen de eo consentiunt, quod omnia commenta, quae in libris manuscriptis recensionis Niceanae continentur, sicut scholia vetera ad vetustos commentarios saeculo quarto p. Chr. compositos redeunt, e Cornuti commentario fluxisse credunt. Jam illi viri docti id magis coniectura collegerunt quam certis argumentis comprobaverunt, sed errasse non videntur, cum rationem quandam inter Cornuti commentarium et deteriora scholia statuerent. Nam re vera ille Cornuti commentarius, e quo O. Jahnius (prolegg. ad Persium p. 119 sq.) specimina edidit, et scholia, quae in libris manuscriptis interpolatis reperiuntur, adeo inter se conspirant, ut aut haec ex illo fluxisse aut utraque scholia ad communem quendam fontem revocanda esse videantur. Rem exemplis illustraturus in sola enumeratione locorum, qui huc pertinent, id quod angustiae huiusce libelli postulare videntur, acquiescam.

1) Incipiam *a codicibus Vossianis A. B. C.*, e quibus Schopenius[1]) scholia in satiram tertiam edidit. Conferas *Sch.* p. 2 v. 13 et *Corn.* III 14; *Sch.* p. 3 v. 27 et *Corn.* III 20; *Sch.* p. 4 v. 18 et *Corn.* III 31; *Sch.* p. 4 v. 27 et *Corn.* III 33; *Sch.* p. 5 v. 15 et *Corn.* III 38; *Sch.* p. 10 v. 16 et *Corn.* III 126; *Sch.* p. 11 v. 12 et *Corn.* III 142; *Sch.* p. 11 v. 16 et *Corn.* III 144; *Sch.* p. 13 v. 1 et *Corn.* III. 178; *Sch.* p. 14 v. 1 et *Corn.* III 190; *Sch.* p. 14 v. 27 et *Corn.* III 201; *Sch.* p. 15 v. 5 et *Corn.* III 204; *Sch.* p. 16 v. 5 et *Corn.* III 218; *Sch.* p. 17 v. 2 et *Corn.* III 228.

2) Sequantur scholia, quae nuper Beldamius *e codice Niceano* edidit[2]) (cf. Revue de Philologie VI, 1 p. 76 sq.)

[1]) ‚Unedirte Scholien zu Iuvenal Sat. III. Bonn 1842.' Ex iisdem libris manuscriptis scholia ad non nullas satiras edidit: *Gigh*: ‚Apparatus criticus ad Iuvenalem. Lugd. Bat. 1849' et idem in libello inscripto ‚Tria capita ad Iuvenalem eiusque scholiastas Lugd. Bat. 1850.'

[2]) Quid de his iudicandum sit, Büchlerus rectissime intellexit, qui in Mus. Rhen. tomo XXXIII, p. 133, haec scribit: ‚commentarium istud, ne quid antiquitatis aut bonae frugis, quod genus Pithoeana scholia et Probus Vallae sunt, in spem veniat, usque quaque saec. XV noviciam doctrinam et collecticiam refert.' Cum genere scholiorum deteriorum nostrum scholiastam conspirantem inveni his locis: cum Vossianis III, 11. 102, VI, 153, cum Oehleri scholiis VI, 428.

quaeque cum Papiae glossario, cuius auctor, ut videtur, commenta Iuvenalis, quae adhibuit, ex eodem fonte hausit, e quo Cornuti commenta fluxerunt[1]), his locis consentiunt: *Schol.* II 66 et *Pap.* s. v. multicia; *Schol.* III 38 et *Cornutus* III 38; *Schol.* III 67 et *Pap.* s. v. schoenobatae; *Schol.* III 296 et *Pap.* s. v. proseucha; *Schol.* VI 259 et *Pap.* s. v. cyclas.

3) Tertio loco ponantur *glossae ab H. Keilio* anno 1876 in indice lectionum universitatis Halensis editae:

Conferas *g. s. v.* Adlobroga et *Corn.* VII 24; *g. s. v.* Ancon et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* Artaxata et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* asseres et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* auctio et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* Bacchanalia et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* Baptae et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* bilibris et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* mariscae et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* cofinus et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* corbulo et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* Geti et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* gutus et *Pap.* s. e. v.; *g s. v.* squilla et *Pap.* s. e. v; *g. s. v.* opici et *Pap.* s. v. opizim; *g. s. v.* proseucha et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* Lateranus et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* Liburnum et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* loripedem et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* lodix et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* Lyde et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* niceteria et *Pap.* s. e. v.; *g. s. v.* hernia et *Pap.* s. e. v.[2]).

4) *E codicibus Achaintrii*[3]) haec exempla adscribam: Conferas *codicem Fauchetii* XIV 104 et *Pap.* s. v. verpus; *codicem Alexandrinum* VII 89 et *Pap.* s. v. semenstris.

[1]) Papiae ‚Elementarium doctrinae erudimentum', quod in sequentibus saepius apellabimus scriptum est fere anno 1063 (cf. Hildebrandt, Mützels Zeitschrift VII, 1853, p. 113). Commenta Iuvenalis, quae, ut ipse in praefatione glossarii sui confitetur, adhibuit, non diversa fuisse a Cornuto nostro ex eo concludo, quod interpretamenta quaedam Cornuti apud Papiam ad verbum repeririuntur. e. g. conferas Pap s. v. Foricas et Corn. III. 38, Pap. s. v. orchestra et Corn. III. 178, Pap. s. v. curricula et Corn VI, 276. Qua re hoc glossarium adhibere non dubitavi idque eo libentius, quia Jahnius e Cornuto ipso pauca frustula tantum edidit.

[2]) Hac occasione oblata monebo etiam ex iis glossis, quae ad Iuvenalem non pertinent, permultae apud Papiam accurate expressa legi.

[3]) Conferas illius editionem II, p. 80 sq.

5) *E codicibus Oehleri*[1]) hos locos excerpsi: Conferas *schol.* V 72 et *Pap.* s. v. artocopus; *schol.* VI 69 et *Pap.* s. v. Mygale; *schol.* VI 71 et *Pap.* s. v. exodium; *schol.* VI 83 et *Pap.* s. v. Pharos; *schol.* VI 297 et *Pap.* s. v. Tarentum; *schol.* VI 425 et *Pap.* s. v. orexis; *schol.* VI 459 et *Pap.* s. v. titulus; *schol.* VII 9 et *Pap.* s. v. machaera; *schol.* VII 134 et *Pap.* s. v. slata; *schol.* XI 69 et *Pap.* s. v. asparagus.

6) In *Crameri Hafniensi*[2]) denique haec exempla inveni: Conferas *Hafn.* I 157 et *Pap.* s. v. aconitum; *Hafn.* II 53 et *Pap.* s. v. coliphius; *Hafn.* III 240 et *Pap.* s. v. liburnum; *Hafn.* III 250 et *Pap.* s. v. culina; *Hafn.* VI 115 et *Pap.* s. v. rivalis; *Hafn.* VI 133 et *Pap.* s. v. hippomanes.

Ex his exemplis satis apparet rationem quandam, ut iam antea diximus, inter Cornuti commentarium et scholia deteriora intercedere, sive haec ex illo fluxerunt sive utraque commenta e communi fonte hausta sunt. Itemque scholia Pithoeana et scholia deteriora aliquo modo inter se cohaerere videntur. Multo saepius enim quam viri docti usque adhuc putaverunt et Cornutus ipse et scholiorum genus deterius partim integra partim mutata vel in breviorem formam redacta scholia promunt, quae apud veterem scholiastam invenimus. Cuius rei exempla non nulla afferam:

1) Proxime *codices Vossiani A. B. C.*[3]) ad scholia vetera accedunt. Pluribus enim quam sexaginta locis scholia Pithoeona iisdem fere verbis repetita in illis manuscriptis inveniuntur: I 9. 20. 51. 66. 71. 96. 100. 104. 111. 116; II 53. 61; III 29. 36. 38. 54. 61. 64. 67. 76. 79. 81. 90. 94. 108. 116. 136. 137. 158. 168. 186. 199. 213. 214. 221. 233. 234. 235. 240. 249. 254. 277. 287. 296. 307. 320; VI 260; VII 54; VIII 3. 4. 5. 9. 13. 14. 17. 62. 77. 103. 117. 131.

---

[1]) Conferas C. Fr. Hermanni ‚Schediasma de scholiorum Iuvenalianorum genere deteriore. Gottingae 1849.‘

[2]) Conferas Crameri in D. I. Iuvenalis satiras commentarios vetustos. Hamburg 1823.

[3]) De exemplis, quae e satira tertia congessi, adeas Schopenum l. c.; alia invenias in duobus commentationibus Gighii, quas iam supra commemoravi.

2) *de glossis H. Keilii* in memoriam revoco collationem, quam editor ipse margini commentationis suae subscripsit et deinde Wirzius in recensione illius commentationis paucis exemplis amplificavit (Philol. Anzeiger X, 479).

3) Locis, quos O. Jahnius (prolegg. ad Persium p. 125 adnot. 2) *e Cornuto ipso* affert II 169; III 38; VI 450 addere possumus VII 154, ubi *apud Cornutum* haec legimus: ‚Cambre nomen fabulae nobis ignotae', *apud Probum Vallae:* ‚gambre repetita historia vel fabula ab aliquo tum scripta . . . . .‘

4) E scholiis, quae Oehlerus cum Hermanno *e codicibus Bruxellensibus* communicavit, haec exempla descripsi: V 72 *codd. Oehleri:* artos panis, copos labor; hinc artocopos panis operator vel pistor. *Probus Vallae:* artoptae pistoris . . . . VII 61 *codd. Oehleri:* sanam dicit pauperiem quae sanos facit . . . . . *Valla:* paupertas, quae cogit poetam sanum esse. VIII, 4 *codd. Oehleri*: nasum minorem dicit vel vetustate ditritum a statua vel quia in proelio nasum amiserat. *Vetus Scholiasta:* nasum minorem dicit vel detritum a statua vel quod in praelio nasum amisit. X, 125 *codd. Oehleri* Ciceronem ‚contra Philippum scripsisse‘ docent. *Vetus Scholiasta:* nam in Filippum magnifice dixit.

5) *Crameri Hafniensis et Vindobonensis* his locis consentiunt cum vetustis scholiis: II, 33 *cod. Hafn.:* offas] carunculam . pro partu. *Vetus Scholiasta:* offas] pro partu. VII, 64 *cod. Hafn.*: Cyrrhae Nisaeque] Montes sunt, in quibus Apollo et Bacchus coluntur. *Vetus Scholiasta*: . . . . Cyrra enim et Nisa montes sunt. XII, 3 *cod. Hafn.:* Reginae] Iunoni. *Vetus Scholiasta:* Iunoni alii Fortunae. II, 53 *cod. Vindobonensis:* Coliphia] Coliphia, ut quidam dicunt, sunt membra virilia de fermento et melle composita . . . . *Vetus Schol.:* pulmentum sive membrum virile.

6) *Librorum manuscriptorum Achaintrii* exempla praebent *codex Fauchetii, codex Alexandrinus, codex Memmii.* II, 124 *codex Fauchetii:* Segmentum vestis muliebris, qua nuptae utuntur . . . *Probus Vallae:* segmenta, quibus nova nupta amicitur . . . . . III, 186 *cod. Fauchetii:* Ille metit barbam] i. e. tondet barbam . . . *Votus Scholiasta:* id est tondet. VII, 23 *cod. Alexandrinus:*

croceam tabellam] vocat paginam .... *Vetus Scholiasta:* .... tabellam id est paginam. VII, 89 *cod. Alexandrinus:* Semenstri auro, rotundo anulo semenstris lunae similitudinem habente: nam semenstris dicitur luna in medio mense, quando quinta decima est et sphaera eius tota est lumine plena. Vocataque est semenstris ab eo, quod semis et mensis i. e. medio mense quando plenissima est. *Probus Vallae:* digitos anulis exornat, qui semestris similitudinem lunae ferunt; semestris autem luna dicitur cum mensis medium permensa est spatium, aut, inquit Probus, quintam decimam dicit: hoc est, cui, ut plena sit, parum admodum deest .... VII, 192 *cod. Alexandrinus:* .... ut autem discernantur nobiles ab ignobilibus, patricii a noviciis, subsuebatur pellis caprae in calce calceamenti ..... *Vetus Scholiasta*: hac lunula nam adsuta calceis discernuntur patricii a noviciis. III, 231 *cod. Memmii:* .... vel unius servi possumus esse domini vel unius horti. Lacertae enim in hortis esse solent. *Probus Vallae:* .... aut lacertam pro horto posuit, per quem discurrere et latitare consuevit.

7) *E Papiae glossario* haec exempla adscribam: *Papias:* abdomen . graece . pinguedo carnis. *Vetus Schol.* II, 86: Abdomine porcae] pinguedine .... *Papias:* Cadurtum dicitur tentorium, quo merces proteguntur. *Vetus Scholiasta:* VII, 221: ..... alii tabernaculum aut tentorium dixisse (sc. dicunt), quibus merces suas protegere consuerunt. *Papias:* rechedipna vestis parasitica. *Vetus Scholiasta* III, 67: Vestimenta parasitica ... *Papias:* forica cloaca publica . forire dicitur foras ire . inde foricas dicimus cloacas ...... *Probus Vallae* III, 38: foricas cloacas: forire enim, inquit Probus, veteres dicebant deicere ac dehonerare ventrem, hinc forire foras eicere .....

8) *Scholia Niceana* nuper edita quinquies ubi vetus scholiasta duas explicationes praebet, unam solam exhibent II, 86. *Schol Nic.:* abdomine] pinguedine. *Vetus Scholiasta:* pinguedine aut intestinis. III, 67 *Schol. Nic.* rechidimna] rechidimnum indumentum parasiticum. *Vetus Schol.* vestimenta parasitica vel galliculas Graecas currentium ad cenam. IV, 118 *Schol. Nic.:* devexae] inclinatae. *Vetus Scholiasta:* inclinatae et per clivum descendenti. V, 81 *Schol. Nic.:* squilla] genus piscis.

Vetus Scholiasta: genus piscis aut commari. VI, 403 *Schol. Nic.*: Seres sunt populi Scythici. *Vetus Scholiasta:* Galliarum gentes aut Scythae. Tum ubi scholiasta Pithoeanus verbum verbo explicat vel breviter indicat, noster scholiasta iisdem fere verbis usus interpretamenta transcripsit. Veluti II, 41 hirsuto] piloso II, 165 ardenti] amanti VI, 343 simpuvium] vas est aptum ad sacrificium. Saepissime etiam e vetere explicatione verbum, ut ita dicam significans, excerptum invenias; e. g. legimus II, 56 Aragne] virgo Lydia. I, 86 farrago] materia. III, 173 hospes] Scipio Nasica. V, 103 cognata] similis. V, 127 tria nomina] fur. V, 171 vertice] capite. VI, 392 protulit] ad deos illos.

Hic subsistat enumeratio. Inde sequitur? Si modo scholia in codicibus interpolatis servata ex recentiore quodam commentario fluxerunt, huius commentarii auctorem reliquias veterum scholiorum easque haud exiguas adhibuisse. Commentarius autem, quem Cornuto tribuere solemus, tum solum ille communis fons scholiorum deteriorum esse potest, cum pariter ad scholia vetusta accedit. Utrum autem commenta illa, quae nomine Cornuti feruntur, ita comparata sint necne, quandoquidem pauca frustula tantum adhuc edita sunt, in medio relinquimus. Interim satis habemus demonstrasse, qualis communis fons deteriorum scholiorum putandus sit, si modo viri docti recte statuunt hoc genus scholiorum e continuo quodam commentario haustum esse.

II. Num in Iuvenalis satiris duplex recensio statuenda sit.

Primus Heinrichius vestigia duplicis recensionis in Iuvenalis satiris exstare suspicatus est.[1]) Sed cum ipse postea de hac re aliter judicaret variasque lectiones, quas libri manuscripti duobus locis (VII 139 et VIII 147) praebent, potius pravo monachorum studio tribuendas esse existimaret, satis habeo illius viri docti sententiam hoc loco uno verbo tetigisse, praesertim cum alterius loci (VII 139) scriptura ‚ut redeant veteres' in deterioribus tantum libris inveniatur speciemque glossematis prae se ferre videatur,[2]) alter autem locus (VIII 147) accuratius infra nobis tractandus sit.

Neque est cur diutius moremur in Paldamo, qui sat. VIII v. 7 investigasse sibi videbatur duplicem recensionem poetae ipsius, qui in Corvini commemoratione sibi non constans primum quidem versum ‚Corvinum posthac multa contingere virga' composuit, deinde autem eum delevit[3];) nam si modo poeta in suo ipsius libro manuscripto quaedam delevit, non admodum probabile esse videtur ea sive a poeta ipso sive ab iis, qui post mortem illius editionem satirarum denuo curaverunt, nihilo minus in novam editionem recepta esse.

[1]) Heinrichius in commentario suo p. 330 haec scribit: ‚Ich glaubte sonst, der Dichter könne selbst in neuen Abschriften seiner Werke eine Veränderung gemacht haben und es pflanzten sich nachher beide Lesarten nach einander fort in Handschriften, die nach dem ersten und revidirten Original gemacht wurden. VII, 139 teilen sich die Codices ebenfalls zwischen zwei Lesarten, die allem Ansehen nach beide vom Dichter herrühren. Es ist aber auch sehr möglich, dass hier wieder die Mönche änderten.

[2]) Illud ‚ut redeant veteres' nihil aliud esse videtur, nisi interpretamentum ab aliquo adscriptum, qui verbis sequentibus ‚Ciceroni-ingens' protasin addidit; quod glossema postea librariorum neglegentia, ut saepius, pro genuina lectione ‚fidimus eloquio' in textum inlatum est.

[3]) Zeitschrift für Altertumswissenschaft 1838, p. 1144.

Multo maiore autem sagacitate atque laudabili sane ratione eandem opinionem persecutus est Teuffelius, cuius sententia, si omnia, quae de hac re passim disputavit, breviter comprehendas, fere haec est: Iuvenalis, qui ipse novam satirarum editionem curare animum induxerat, partim additamenta quaedam ad libri manuscripti sui marginem apposuit, partim pro versibus nimis languidis graviores atque aptiores adscripsit. Iam ii, qui post mortem poetae novam editionem fecerunt, non modo omnia, quae in margine libri invenerant, prava pietate commoti in textum receperunt, sed etiam ex aliis poetae reliquiis quaedam, ut ab oblivione vindicarentur, ubicumque non perturbato sententiarum ordine addi poterant, interposuerunt. Quo factum est, ut primum in codicibus nostris, qui omnes ex altera illa recensione fluxisse videntur, saepius loci inveniantur, qui cum antecedentibus et subsequentibus forma ac sensu non arte cohaerent, sive quod additamenta illa poetae ipsius neglegentia non satis subtiliter contexta sunt, sive quia editores hac in re leviter atque inconsiderate se gesserunt; deinde contigit editoribus, ut nimis anxie vel eos locos servarent, quos poeta ipse sine dubio deleverat aliis versibus, quos substitui volebat, ad marginem adscriptis.

Huic opinioni parum convenire videntur ea, quae Teuffelius ad I, 69 sq. disserit[1]), ubi versus 69—72 librariorum neglegentiae tribuuntur. Iam de errore librariorum loco commemorato tum solum cogitari potest, si in libris manuscriptis, e quibus textum descripserunt, additamenta poetae etiamtunc margini apposita invenerunt, id quod ne cogitari quidem potest, quia nostri codices certe non ad librum ab ipso Iuvenale scriptum revocandi sunt, sed ad novam editionem post mortem poetae factam, in qua additamenta illa iam certo ordine textui interposita erant. Porro quam putida diligentia aut si mavis quo pravo iudicio praeditos fingamus veteres editores, qui meras verborum mutationes in novam editionem receperunt sicuti

[1]) Conferas eius commentationem in Musei Rhenani tomo XX p. 153 et ea, qua idem vir doctus brevius disseruit de hac re in adnotationibus ad translationem satirarum p. 173.

VIII, 146 sq.[1]). Sed his omnibus nihil tribuendum esset, dummodo, quae Teuffelium singulis locis offenderunt, ullam vim haberent; sed quantum video ille saepissime nodum in scirpo, ut aiunt, quaesivisse videtur, sive quod quaedam, quae poetae maxime propria sunt, non recte perspexit, sive quia de verborum conexu tanquam obscuro atque perplexo non recte itentidem dubitavit.

Sed ut iam ad ipsos versus in quibus duplicis recensionis vestigia invenisse sibi visus est Teuffelius, accedamus, quinquies, si Teuffelio credimus, Iuvenalis, ubi sententia nimis languescere videbatur, aptiora atque graviora substituerat, quae una cum illa priore et frigida sententia prava editorum religione prodita sunt. Cuius rei exempla a Teuffelio primum promuntur sat. I, v. 73 — 76 et 77—80, de quibus haec scribit[2]): .... beide Versgruppen haben die Function einen Abschluss zu bilden; sie vertragen sich daher unmöglich mit einander. Und doch sind beide echt iuvenalisch. Vielleicht dass die zweiten vier bestimmt waren, an die Stelle der ersten vier zu treten, die aber aus Versehen der Abschreiber (oder weil man sie auch der Erhaltung für würdig erachtete) daneben stehen blieben'. Sane offendere leviter attendentem potest, quod poeta ad rem, quam compluribus exemplis iam illustraverat et sententia generali (v. 73—76) quasi ad finem perduxerat, nihilosetius redit atque denuo a via deflectit; sed quaeritur, num haec neglegentia a Iuvenalis ratione prorsus aliena iudicanda sit. Teuffelius autem duplicem recensionem a poeta ipso factam hoc loco exstare suspicatus difficultatem non modo non expedivit, sed etiam auxit. Nam omissis versibus 73—76 ea, quae sequuntur v.77—80, minime cum antecedentibus cohaerent, ubi Iuvenalis signatorem falso et matronam veneficam *media in via sibi occurrentes et divitiis*, quae criminibus debent, *se iactantes* fingit. Neque satis intellegitur, quomodo poeta inde a versu 77 subito hanc ima-

[1]) Quod enim codices VIII 147 et 167 praebent scripturas ,Lateranus' et ,Damasippus', Teuffelius ad poetam ipsum revocandum atque prava editorum diligentia has varias lectiones nobis proditas esse contendit.

[2]) Decimus Junius Iuvenalis Satiren übersetzt von W. Hertzberg und W. S. Teuffel. Stuttgart. 1867 p. 173. et Mus. Rhen. san. XX. p. 153.

ginem omittere potuerit; quae res per se nihil offensionis habet, si antecedentia sententia generali (v. 73—76) ad finem perducta sunt et iam eadem res proposita novis exemplis illustratur. Huc accedit, quod oratio pro indole ac natura Iuvenalis sane apte et concinne procedit neque quidquam offensionis habet. Conferas exempli gratia sat. XV v. 179 sq., ubi oratio, postquam poeta maiorum simplicitatem cum sui temporis luxuria iam antea v. 161—72 comparaverat et de sceleribus ex nimia luxuria ortis in universum disseruerat v. 173—78, tamen ad eandem simplicitatem denuo redit. Huic exemplo simile est, quod invenitur III 104, quo loco, quamquam, quaecumque de Graeculo adulante dicta sunt, verbis ,non sumus ergo pares' comprehenduntur, tamen denuo ad eandem rem revocamur[1]). Addam denique duo exempla e satira sexta petita. Nam quaestiones, quae versu 161 et versu 266 proponuntur, multo aptius et accommodatius sane locum tenent aut in extrema parte totius satirae aut ubi poeta rem propositam saltem ad finem quendam perduxit[2]).

[1]) Si cum non nullis editoribus hunc versum removeas, verba ,iactare manus, laudare paratus ....' non apte sequuntur v. 100—103, ubi tantum illud ,aliena sumere vultnm facie' uberius expositum est. Talis sensentia, quae et proxime antecedentia (v. 100—103) complectitur et simul ad sequentia traducit, ubi poeta in universum omnia, quae de adulante Graeculo inde a versu 86 dixit, comprehendit qualisque v. 104 continetur, omnino desiderari non posse videtur.

[2]) Neque Wirzio adstipulari possum, qui versus 77—78 Iuvenali abiudicat. (cf. Phil. 1877, p. 293 sq.). ,Die ganze Reihe zur Satire herausfordernde Züge von v. 22 an ist dem Leser vorgeführt als eine Reihe von Bildern, die wie dem Dichter, so jedem auf der Strasse begegnen, wo das Laster öffentlich sich zeigt und siegreich einhergeht. Die blosse Constatirung von Ehebruchsfällen und geheimen Sünden im häuslichen Leben gehört nicht in diese Reihe, sondern allenfalls in den folgenden Teil, wo das heutzutage massenhafte Vorkommen aller möglichen Laster besprochen wird. (v. 87, ff.)' Sed conferas v. 22—23 et v. 55—56, ubi poeta neque istos sceleratos in via sibi occurrentes fingit neque pondus ac vim habere videtur, quod spado, Maevia, maritus doctus spectare lacunar, quodcumque in se admittunt, impune faciunt. Tum pergit, Wirzius: ,Zeigen die Verse 63 ff. eine Steigerung gegenüber 45 ff., diese gegenüber 30 ff., so ist dagegen der neue Ansatz mit den phrasenhaften ,quem patitur dormire' matt und schwächlich — vergl. v. 51 ff., 73 ff., wo der Leser oder Hörer gewisser-

Transeamus nunc ad alterum locum, ubi Teuffelius idque meo quidem iudicio haud magis feliciter eodem modo vestigia duplicis recensionis investigasse sibi visus est. De sat. V enim versibus 92—98 haec scribit[1]: ‚Vers 92—98 halte ich für eine Variation zu Vers 99—102 ganz in derselben Weise wie Satire I, v. 73 dargelegt. Denn erstens enthalten beiderlei Versgruppen das Gleiche, dass Virro einen kostbaren Fisch isst, welcher das eine Mal ein ‚mullus‘, das zweite Mal eine Muräne ist; sodann wird das erste Mal die Kehrseite zu dem, was Trebius vorgesetzt bekommt, nicht ausgeführt, was doch sonst immer geschieht. Entweder sind die ersteren sieben Verse die spätere Bearbeitung, bestimmt, an die Stelle der minder energischen vier Verse 99—102 zu treten, die sich aber neben ihrem Ersatze forterhielten; oder sollten umgekehrt diese vier Verse an die Stelle jener etwas schwerfällig construirten (92—98) und für Lebende persönlich verletzenden (v. 98) treten. Vielleicht dass der Dichter selbst unschlüssig war und daher nicht dazu kam, die Fassung zu streichen.‘ Iam O. Meinertzius[2]) quidem hanc sententiam certis, ut opinor, argumentis refutavit; at tamen denuo disserere de his versibus non dubitavi, quia prorsus illius viri docti sententiae adstipulari nequeo. Rectissime enim Teuffelio de oppositione, quam ille desiderabat, obiciuntur haec: ‚der Dichter beobachtet auch an anderen Stellen der Satire diese Gegenüberstellung nicht so peinlich‘; atque exemplo a Meinertzio allato (v. 86) addam etiam v. 146. Verum de ceteris me assentientem non prorsus

---

massen der Begleiter des Dichters auf der Strasse ist — die Wendung ‚dormire‘ geradezu unpassend, oder soll dem Betreffenden der Gedanke an diese Unzuchtsfälle beim Einschlafen kommen oder ihn im Schlafe stören? Iam gradationem, quam Wirzius huic parti satirae subicere vult, subesse persuadere mihi non potui. Quomodo enim exempla v. 23—30 a poeta allata et v. 30 sq. gradationem continent? Porro ut ‚quem patitur dormire‘ non magis inane atque putidum est quam ‚quid referam‘ (v. 45), ita prorsus apte dictum esse e Terentii Heaut. Tim. v. 730 apparet, ubi nihilo magis de vero somno cogitandum est.

[1]) l. c. p. 204 et Mus. Rhen. tomo XX. p. 475.

[2]) In libello, qui inscribitur ‚Zur Kritik und Erklärung der Satiren Iuvenals.‘ Konitz 1871. p. 31.

habet; nam pergit ita: ‚Der Dichter nimmt demselben (Virro) an verschiedenen Stellen einen verschiedenen Standpunkt ein, insofern als er sich ihn bald an Virros Tische sitzend, bald dagegen erst im Begriffe der Einladung zu folgen denkt. So repräsentiren die aufgezälten Gerichte nicht den Küchenzettel einer wirklichen Mahlzeit, sondern einen Küchenzettel, wie ihn der Dichter sich denkt, in dem also für Vermutungen und verschiedene Möglichkeiten ein Spielraum bleibt‘; in quo illud quidem recte perspexit, id quod Teuffelium fugit, Trebium apud Virronem cenantem cogitari non posse; nam si ita se haberet neque Virroni neque Trebio bis idem cibus apponi posset. Sed ne de certa cena cogitarem, me impedivit, quod fercula miro ordine enumerantur, quod fungi reapse bis apponuntur (cf. v. 146 et v. 146), quod denique poeta et mullum et muraenam, non mullum *aut* murenam in ferculis domino appositis enumerat, quam sententiam Meinertzius particulam ‚aut‘ suo arbitrio interponens verbis subesse vult. Itaque sic opinor: Virro et Trebius, qua ratione Iuvenalis in nominibus hominum uti consuevit, homines quidem sunt, qui re vera antiquo tempore vixerunt, sed ut poeta per totam satiram modo illos modo universum genus talium hominum alloquitur, ita non certam cenam, sed totum illud cenarum genus in mente habere videtur. Qua re mullus et muraena sine offensione componuntur, ut postea fungi v. 116 et v. 146, neque est, cur cum Teuffelio duplicem recensionem statuamus.

Tertium exemplum Teuffelius attulit e satira sexta. De versibus enim 178—83 haec scribit[1]): ‚Von den folgenden Versen bemerkt Ribbeck p. 172 mit Recht, dass sie nur ungeschickter ausgeführt genau dasselbe enthalten wie Vers 166 ff. Ich glaube daher, dass auch hier der gleiche Fall ist wie I, 73 ff. und V. 92 ff., dass wir nämlich zwei Versionen desselben Gedankens vor uns haben, von denen die eine (hier sicherlich die zweite) vom Dichter zum Wegfall bestimmt war‘. Iam si quis rem accuratius persequi voluerit, reperiet minime eandem sententiam repeti; nam sententiarum nexus hic est:

---

[1]) l. c. p. 216. et Mus. Rhen. tomo XX. p. 476.

Licet mulier omnibus virtutibus praedita sit, tamen mihi molesta est et odiosa, si has ipsa semper in ore habet. Vel maxime ignobilem feminam praeferre non dubito Corneliae quamvis nobili genere natae, quae semper avos vetustos avorumque triumphos in ore habeat. Ergo nobilitati v. 166—71 vis quaedam ac pondus accedere videtur. Tum poeta, postquam Niobes exemplo ipsam fecunditatem exitio esse v. 172—77 demonstravit, exemplis non allatis v. 178—83 de gravitate i. e. de decore muliebri et de forma i. e. de pulchritudine agit. Ita fit, ut virtutes, quae versu 162 sq. enumerantur, quodam modo ordine mutato perlustrantur. Ergo omnia plana atque perspicua sunt atque mirandum est, quomodo Teuffelio ulla offensio exoriri potuerit.

Difficilior et multo magis impedita quaestio est de versibus 582—84 et 589—91, de quibus Teuffelius ita iudicat[1]): ‚Auffallend ist, dass der Circus abermals genannt wird; überhaupt unterscheidet sich Vers 589—91 von Vers 588 materiell so wenig, dass man auch hier an eine doppelte Recension denken möchte, sodass die drei Verse, ursprünglich eine Variante zu den drei 582—84, neben ihnen sich erhalten hätten und an den Schluss des Abschnittes angefügt worden wären.‘ Iam illud quidem Teuffelio concedendum est v. v. 582—84 et 589—91 eandem sententiam subesse; nam illud ‚mediocris‘ propter sententiam secundariam ‚spatium-roganti‘ non apte de muliere astrologiae imperita, sed de paupere femina intellegitur. Verum si rem penitus inquisiveris, in utraque sententia tamen variationem quandam invenies. In priore enim parte summa sententiae vis posita est in voce mediocris, in posteriore pondus additur loco, quo pauperes feminae consulunt. Qua re versus ita, ut Teuffelius vult, minime commode se excipiunt. Etenim inde a versu 569 usque ad versum 591 agitur de mulieribus, quibus non opus est alicubi de futuris consulere, quoniam ipsae scientia stellarum imbutae sunt. Quomodo autem sententia, quae continetur v. 589—91, si Teuffelium secuti post versum 581 hos tres versus ponimus, apte cum antecedentibus cohaereat, non intellego. Nam si recte perspeximus in versibus 589—91 vim habere verba ‚consulit ante falas delphinorumque columnas‘, oratio tum solum apte procedit, si etiam in antecedentibus versibus per oppositionem exponitur, ubi mulieres divites consulere de futuris soleant. At neque de consulendo neque de consulentibus mulieribus in iis, quae praecedunt, agitur, sed potius de feminis superstitiosis, quae ipsae astrologiae peritae sunt ideoque marito multo molestiores sunt. Itaque minime probabile est hos versus a poeta margini adscriptos esse, ut pro alteris tribus versibus 582—84 ponerentur. Neque est cur ad has argutias confugiamus. Verborum enim conexus hic est: Multo molestiores quam feminae superstitiosae, quae de futuris ubique *consulunt*, sunt illae, quae ipsae eastrologia imbutae sunt. Si mulier mediocris i. e. pauper erit, in circo vates consulet, nam astrologiae non ipsa perita erit. Cum divites vates et hariolos in domum adducant, ‚plebeium in circo positum est et in aggere fatum‘ ibique mulieres pauperes de futuris consulere solent. Quamvis igitur concedendum sit abundantiam quandam et verborum et sententiarum in loco inesse, tamen tantum abest, ut haec res suspicionem moveat, ut indolis atque naturae Iuvenalis propria esse videatur. Circi autem duplex mentio, quae Teuffelium offendit, excusari potest gradatione per oppositum facta. Iuvenalis enim ad sententiam quandam augendam rhetorice huic contrarium enuntiatum opponere solet. Conferas V 51 et VI 24, quos locos non nulli docti perperam tentaverunt[1]). Quo factum est, ut oratio hoc loco, ne duorum membrorum concinnitas minueretur, quamquam poeta iam antea de circo disseruerat, tamen eodem rediret.

Restat unus locus, quo Teuffelius usus est, ut bis eandem sententiam variatam esse demonstraret, satirae IX v. 118—119 et 120—123, de quibus ita iudicat[2]): ‚Mit Recht sagt Ribbeck

[1]) l. c. p. 226. et Mus. Rhen. tomo XX. p. 476.

[1]) V. 51. delent Pinzgerus, Heinrichius, Jahnius; VI. 24. delet Heineckius; v. 24 et 23 transponit Schraderus.

[2]) Mus. Rhen. tomo XXI. p. 155 et Verhandlungen der Heidelberger Philologenversammlung (Lpz. 1866) p. 167.

p. 12, dass hier zwei parallele Versuche denselben Gedanken auszudrücken vorliegen. Teil eins (v. 118—119) zieht aus den dargelegten Tatsachen die Lehre, dass man also ‚recte vivere' müsse, schon aus dem Grunde, damit man über das Gerede der Sklaven sich hinwegsetzen könne. Teil zwei (v. 120—123) warnt davor, dass man über das Gerede der Sklaven sich hinwegsetze, es damit leicht nehme. Wenn sonach Teil eins das ‚contemnere linguas servorum' als Ziel des Strebens hinstellt, Teil zwei vor demselben warnt, so erhellt, dass beide Teile einander ausschliessen und unmöglich derselben Bearbeitung angehören können'. Prorsus neglexisse videtur Teuffelius verbo contemnendi aliam notionem priore loco, aliam posteriore subesse. Nam in verbis ‚cave sis ut linguas mancipiorum contemnas' nulla alia vis inesse potest, si sequentia ‚nam-servi' respicias, nisi pro nihilo habere (unterschätzen, leichtnehmen), priore loco in verbo contemnendi inest notio non timendi (cf. V 102 et VI 90). Itaque nexus verborum hic est: Recte vivendum est, ne tibi servorum linguae timendae sint. Atque cave linguas mancipiorum nihili aestimes, quia ‚lingua mali pars pessima servi' est. Sed ne quis verborum abundantiam et triplicem eiusdem verbi repetitionem in suspicionem vocet, comparet VI 509 et 533. Quamquam his argumentis Teuffelii sententia iam satis refutata esse videtur, tamen non nulla, quae ille praeterea ad sententiam magis stabiliendam attulit, breviter recenseamus. Pergit enim l. c. ita: ‚Welches ist die spätere und daher ohne Zweifel vom Dichter selbst vorgezogene Fassung? Sicherlich Vers 118—119. Das ergiebt sich teils aus der prägnanten Kürze, teils aus Vers 124. Vers 124 erwidert nämlich Navolus: ‚utile consilium modo, sed commune dedisti'. Dieser nützliche, aber nur allgemeine Rat kann nur der mit den Worten ‚vivendum est recte' gegebene sein. Das weitere enthält zwar auch einen Rat, nämlich ‚cave sis, ut — contemnas', und zwar einen, der sich allenfalls auch als nützlich bezeichnen lässt, um so weniger aber als allgemein'. Sed hoc pertinere videtur ad illud ‚commune', contra verba ‚consilium dedisti' non commode adnectuntur versibus 118—119, ubi proprie non consilium quoddam datur, sed tantum exponitur, qua re quid faciendum sit. Porro si versus 124, ut Teuffelius opinatur, non apte adnecteretur ad versum 123, sed commodius coniungeretur cum versu 119, demum cum altera recensione huius loci (v. 118—119) in textum receptus esset. Quod si ita se haberet, aut Naevoli oratio in priore recensione incepisset a versu 125, id quod meo quidem iudicio fieri nequit, aut pro illo versu (124) in priore recensione alius positus erat, qua in re id offendit, quod hic versus cum duabus loci recensionibus (v. 118—119 et 120—123) servatus non est. Huc accedit, quod de sermone versuum Teuffelius sine ulla causa dubitasse videtur. Nihil dicam de voce ‚praecipue', pro qua ‚idcirco' vel tale quid substituendum esse opinatus est, quoniam haec difficultas iis, quae supra disputavimus de ratione, quae intercedit inter versus 118—119 et 120—123, facile removeri videtur. Neque est, cur diu moremur in variis codicum scripturis ‚nam' et ‚nec', quae discrepantia tum solum Teuffelii opinionem de duplici recensione adiuvaret, si altera scriptura ad priorem recensionem tantum conveniret, alteram autem lectionem demum editores, cum additamenta illa in textum reciperent, substituissent. Verum ‚nec' ab hoc loco alienum et pro vitio librariorum habendum est. Neque magis haerendum est in voce ‚deterior, quam vel ad statum quendam et condicionem, vel ad honestatem pertinere colligitur ex his locis Iuvenalis ipsius III 7. 90. Itemque Teuffelius perperam in dubitationem vocasse videtur verba ‚animas custodit', quibus poeta dominum ludere videtur, qui servis, ut taceant, maiorem cotidiani victus partem et plus aeris dat, quam dare debet.

Omnes hos locos, de quibus adhuc egimus, propterea communi quodam vinculo comprehendimus, quia ubique bis eandem sententiam exstare Teuffelius suspicatus est. Aliam viam vir doctus ingressus est in satirae tertiae v. v. 114—118, de quibus haec scribit[1]): ‚Eine nachträgliche Einschaltung des Dichters, um vergessene Momente nachzutragen, für die sich aber kein passender Raum fand, oder die bei einer nach dem Tode des Dichters veranstalteten Ausgabe aus seinen Papieren

[1]) l. c. p. 189 et Mus. Rhen. tomo XX p. 474.

hier angefügt wurde. Sicher ist, dass die Verse 113—118 den Zusammenhang der Schilderung von dem Treiben der Griechen in Rom auf störende Weise unterbrechen. Auch ist der Ton ein anderer als ihn sonst Umbricius anschlägt; er ist polternd, wie da, wo Iuvenal in eigener Person spricht. Ebenso ist im einzelnen des Ausdruckes viel Ungeschicktes und Unklares, wo nicht Unrichtiges.‘ Iam hoc apparet, si cum Teuffelio aliisque versum 113 delemus, orationem hiulcam fieri; nam ita de vitiis tantum Graeculorum ageretur, ut, ni fallor, Heinrichius vult, et exemplum, quod continetur versibus 114—118, ab antecedentibus abhorreret. Sed hac ratione nihil perversius cogitari potest et hic debita laude fraudare nolim Weidnerum, qui hunc versum certis argumentis defendit. Nam tota hac parte satirae, quamvis poeta, ut solet, identidem paululum digrediatur, artes Graeculorum describuntur, quibus ‚viscera magnarum domuum dominique futuri‘ fiant et veteres clientes summoveant. Itaque oratio apte procedit. Poeta enim rem novis exemplis illustraturus ita pergit: quomodo Graeculi in gymnasiis, ubi adulescentes Romanos exercitationes corporum docentes sciscitando et interrogando secreta domus elicere studeant, de hac re nihil dicam (‚transi‘ cf. VI 602); turpissime se gessit stoicus quidam, qui postquam in Bareae familiaritatem se insinuavit, quamvis grandis natu, Baream, amicum et discipulum, eiusque familiam prodere non dubitavit. Paucis verbis ita poeta rem omnem narravit, ut summam vim unum quodque fere verbum habeat. Porro in iis, quae Teuffelius de elocutione disserit, modum excessit. Nam primo obtutu offendere quidem potest, quod versus 114—118, cum antecedentia et sequentia magis ad sermonem accedant, ita comparati sunt, ut genus dicendi disputationis vel dissertationis proprium imitentur. Neque tamen inde cum Teuffelio hos versus a Iuvenale vel ab alio postea adscriptos esse concludendum est. Licet enim Iuvenalis per totam satiram Umbricium loquentem faciat, tamen, id quod poeta dignum est, non ita sermonis instituti rationem servat, ut ubique suam animi sententiam abiciat. Potius poetam saepius neque tantum in hac satira deprehendimus prorsus neglegentem aliquem a se

dicentem fingi. Quae res omnibus tam nota est, ut satis habeam non nulla exempla adscribere, quae ad huius loci indolem ac naturam proxime accedunt: III 60 281. IX 48—49. 79—80. 99. Postremo quod Teuffelius nobis persuadere studet hoc loco non nulla obscura et a legibus sermonis Latini aliena esse, verba ‚maioris abollae‘ Madvigius (op. II 41) et B. Lupus (l. c. p. 29) ‚coepit‘ satis explicaverunt.

Restat, ut breviter disputemus de alio loco, ubi Teuffelius codicum auctoritate nisus vestigia duplicis recensionis exstare contendit. De versibus enim 146 sq. sat. VIII haec scribit[1]: ‚Den würdigen Beschäftigungen Adliger werden unwürdige gegenübergestellt, wie die aurigatio, das Kutschieren . . . . Als Vertreter der ganzen Richtung wird ein Einzelner aufgestellt, welcher in der besseren Klasse der Handschriften ‚Lateranus‘ heisst, in den geringeren ‚Damasippus‘. Da wir nun schon vielfache Spuren einer doppelten Recension der juvenalschen Satiren gefunden haben, so dürfen wir (was auch Heinrichs ursprünglicher Gedanke war, bis er die Variante auf die Mönche ablud) eine solche auch in dieser merkwürdigen Verschiedenheit erkennen; wobei zweierlei denkbar ist: entweder, dass der Satiriker zuerst den richtigen Namen (Lateranus) schrieb und ihn erst später aus Rücksichten durch den halb apellativen ersetzte oder umgekehrt, dass er zuerst bei Lebzeiten des Betreffenden ‚Damasippus‘ schrieb und ihn erst später mit dem eigentlichen vertauschte. Gehörte Lateranus wirklich der Zeit des Nero an (cf. v. 170), so ist das erstere wahrscheinlich‘. Sed ne nimium huic diversitati scripturae tribuatur, illud constat solam genuinam et antiquam esse lectionem ‚Lateranus‘. Nam praeterquam quod haec lectio codicis Pithoeani auctoritate commendatur (cf. v. 147. 151. 167), defenditur scholiorum veterum lemmatibus (cf. v. 147 et 167), quae una cum scholiis e vetustis commentariis adscripta sunt et quibus ideo vel plus fidei tribuendum est quam ipsi codici Pithoeano. Quaeritur autem, utrum scriptura ‚Damasippus‘, quae sine dubio speciem vetustatis prae se ferre videtur, ad

[1] l. c. p. 260.

poetam ipsum revocanda sit necne. Iam primum ab indole atque natura nostri poetae omnino abhorrere notum est nomini vero nomen fictum substituere. Ut enim Martialis hominibus, quos carpit, nomina quaelibet tribuere solet, ita nomina, quae in Iuvenalis satiris obviam fiunt, minime ficta sunt, neque erat, cur poeta nomina fingeret, quandoquidem, ut ipsius verbis utar, experiri vult, ‚quid concedatur in illos, quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina' i. e. quia aequalium vitia exemplis e tempore praeterito petitis insectatur.[1]) Deinde, si poeta hoc loco a ratione solita re vera discessisset, quamquam nulla erat causa, cur discederet, cogitari non posset, ut iam supra dixi, ab editoribus meras verborum mutationes in novam editionem receptas esse. Denique e scholiis apparere videtur minime utramque scripturam ‚Lateranus' et ‚Damasippus' ab initio in libris manuscriptis exstitisse. Is enim qui ad versum 147 hoc scholion ‚Lateranus] et ipse luxuriosus quidam' apposuit, sine dubio solam lectionem ‚Lateranus' novit. Quomodo autem varia lectio ‚Damasippus', quae, ut iam dixi, vetusta atque vetustior quam Niceana recensio esse videtur, orta sit, certo dici nequit. Facile autem fieri poterat, ut aliquis illud ‚Damasippus', quod quidem est fere nomen appellativum, Lateranum equorum amantem accuratius designare atque notare arbitratus, ubicumque in libro suo manuscripto legit ‚Lateranus', glossema ‚Damasippus' superscriberet, quod postea, ut saepius, librariorum neglegentia tanquam genuina lectio in textum receptum est.

Teuffelii vestigiis insistens quamvis minus sagaciter neque probabili via ac ratione compluribus locis duplicem recensionem statuendam esse censuit Weidnerus, qui in editione sua p. 18 hanc sententiam protulit: ‚Ist eine Redaction der sämmtlichen fünf Bücher vielleicht von Freundeshand erfolgt, so darf man annehmen, dass aus dem Nachlass und den Papieren des

[1]) Conferas Friedländeri commentationem ‚de nominibus personarum in Iuvenalis satiris' et ea, quae idem vir de hac re brevius disseruit in libro ‚qui inscribitur: ‚Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms'. Lpzg. 1881. p. 465.

Dichters die frühere Ausgabe manche Zusätze erhalten hat, welche durch Zeichen von dem früheren Text unterschieden waren. Im Laufe der Zeit schwanden diese Zeichen und wir haben nun einen Text, in welchem einzelne Gedanken doppelt bearbeitet erscheinen. Daneben erlitt er manche Verderbnisse teils durch Einmischung fremdartiger Verse vielleicht aus dem Handexemplar des Dichters . . . .' Cum vir doctus haec omnia tantum suspicatus sit, satis habeo ea accuratius inquirere, quae ipsum singulis locis offenderunt. Vestigia autem duplicis recensionis investigasse sibi videtur II 143—148, III 114—118, VII 181—214, VIII 6—8. 111—112. IX 48—49. 120—123, XI 166. Quibus ex locis omittimus primum hos versus, quos iam supra a Teuffelio defendimus, tum VIII 111—112, ubi Weidnerus opinionem suam ne uno quidem verbo stabilivit, denique IX 48—49 et XI 166 sq., ubi vir doctus, quamquam in prooemio editionis suae duplicem recensionem his locis statuendam esse contendit, tamen non sibi constans in adnotationibus adire iubet Ribbeckium, a quo hos versus Iuvenali abiudicari et ad declamatorem, quem vocat, revocari satis notum est. Relinquuntur igitur hi loci II 143—48. VII 181. 214, VIII 6—8. de quibus accuratius nunc quaeramus.

Incipiamus a versibus sat. II 143—48, quos Weidnerus a Iuvenale postea appositos esse putare videtur propterea quod et ab antecedentibus abhorrent et Gracchi nomen bis commemoratum difficultatem praebet (cf. v. 117). Ac primum quidem nominis ‚Gracchus' repetitio prorsus defendi videtur iis, quae supra de hominibus, qui in Iuvenalis satiris loquentes inducuntur, disseruimus; nam qui v. 117 nominatur Gracchus, is haud dubie diversus est ab eo, quem in arena gladiatorem pugnasse poeta hoc loco testatur. Deinde hi versus nequaquam a totius satirae contextu tam alieni sunt, ut tanquam additamentum sive a poeta ipso sive, id quod Ribbeckio persuasum est, ab interpolatore quodam appositum delendi sint. Nimirum Doetschius[1]) rem acu tetigisse mihi non videtur, qui poetam

[1]) Vindiciae Iuvenalianae Monasterii 1870 p. 14.

ita defendere studuit: ‚flagitia virorum Romanorum gradatim perstringuntur' aut ‚monendum est tota hac satira nobiles tantum viros a poeta castigari, qui non solum libidini summopere detestabili dediti sunt, sed etiam, id quod omnibus Romanis summo dedecori est, ordinis honestatem neglegunt.' Nam illud, quod poeta in hac satira tractandum sibi proposuit, sine dubio indicatur versibus 1—3: ‚Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem | Oceanum quoties aliquid de moribus audent, | Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.' Iam tenendum est verba ‚Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt', ad quae poeta usque ad versum 81 semper rediit (conferas v. 9—10. 19—20. 34—35. 36—63), postea prorsus omitti; quo fit, ut iam sola vitia virorum carpantur. Itaque Ribbeckius primo obtutu suo iure conexum verborum in suspicionem vocasse videtur. At tamen B. Lupus[1]) recte intellexit hic digressionem Iuvenalis omnium consensu maxime propriam subesse[2]); sed vellem, accuratius dixisset de hac re et exemplis rem comprobasset. Etenim sicut X 283 et XIV 76—106 sententia secundaria latius describitur et exemplo comprobatur, ita etiam hoc loco poeta simili modo digredi videtur a proposito. Nam in antecedentibus agitur de Salio quodam, qui dignitatis suae immemor ‚segmenta et longos habitus et flammea' sumpsi tet merito poetae bilem movit. Huic, qui occulte

[1]) Vindiciae Iuvenalianae. Bonnae 1864 p. 28.

[2]) Digressionum, quae nobis apud Iuvenalem occurrunt, duo potissimum genera sunt: I poeta a re proposita non prorsus quidem digreditur, sed rem, quam tractat, saepius secum reputat veluti IV 46—56, X 183—84, XII 48—51. 55—61, XIII 187—89 aut res quaedam, id quod poetae disciplina rhetorum imbuti maxime proprium esse videtur, nimis dilatatur veluti XI 77—120, XIII 38—52. 199—210. II poeta a re proposita prorsus digreditur: *a*) saepius ad sententiam, quae, quamvis per se iam digressio quaedam sit, tamen cum antecedentibus aliquo modo coniungi potest, nova adduntur, quae tum a re proposita prorsus abhorrent e. g. XI 110—116, XII 106—110. *b*) non raro sententia secundaria, quae cum re proposita adhuc quodam modo cohaeret, exemplis illustratur veluti X 283, XV 74—106. *c*) res, quam poeta tractandam sibi proposuit, subito quasi variatur ut VIII 245 sq. X 258 sq. *d*) vel poeta rem propositam prorsus neglexit et aliena intermiscuit ut III 249—53. III 261 sq. VIII 113—136.

pathicum se praebuit, additur alius nobilis homo, qui aperte in circo se abiecit et totum ordinem suum ignominia affecit. Utrum autem poeta facinus, quod iste nobilis homo in se admisit, turpius putet quam scelus sacerdotis Salii necne, hoc loco nihil interest, quia, ut iam dixi, non tam scelera, quam quomodo quodque commissum sit, poeta spectare videtur.

In versu sat. VII. 181, quem Weidnerus ad priorem editionem Iuvenalis revocandum esse putat, non est, cur diutius moremur, cum vir doctus, ut saepius, id potius suspicatus sit, quam certis argumentis comprobaverit. Quid autem de versu iudicandum sit, Doetschius l. c. p. 30 recte intellexit, qui prorsus me assentientem habet.

Transeamus ad tertium locum, in quo Weidnerus vestigia duplicis recensionis invenisse sibi visus est, v. 214 eiusdem satirae, de quo in editione illius haec scripta sunt: ‚Der Vers ist entweder eine Interpolation oder der Ueberrest einer verschiedenen Recension, denn die Wiederholung des Namens Rufus, so sehr auch sonst Iuvenal diese Figur liebt, ist hier unmöglich, weil ja ‚atque alios' und ‚quemque' dazwischen steht. Und was ist das Subject in ‚dixit'? Doch wohl sua iuventus. Aber welche Härte, dies auch aus sua quemque einfach zu ergänzen!' Ac primum quidem de anaphora conferas X 191. Quod autem Weidnerus in verbo ‚dixit' haeret, sermonem Iuvenalis non satis perspexisse videtur. Iuvenalis enim, id quod sermonis familiaris ad satirarum genus prorsus apti maxime proprium est, tanta licentia subjectum mutavit, ut hoc loco facile e verbis ‚sua quemque iuventus' suppleas ‚sua iuventus'. Conferas VI 235. 247—48. 374. 521.

Certiore ratione Weidnerus usus est in satira octava, ubi sine dubio duplici Corvini mentione (v. 5 et v. 7) in errorem inductus suspicatur in priore quadam resensione satirarum ad protasin ‚si coram Lepidis male vivitur' pertinuisse versus 6—8, pro quibus in altera editione poeta versus 1—5 substituerit. Iam haec opinio admodum probabilis esse videtur et si quis leviter attendat, ad Weidneri sententiam facile perduci potest. At tamen ne in eosdem errores incidamus atque

ii, qui eius sententiam temere probaverunt, duae potissimum causae nos prohibent: Ac primum quidem tenendum est duas res a poeta in hac satira tractari: primum castigari nobiles, qui nobilitate generis et maiorum gloria se iactant, quamvis ispsi nihil memorabile gesserint (cf. illud ‚privum aliquid da'.). tum perstringi nobiles, qui superbi nobili genere et proavorum fama nihilominus vitam turpissimam agentes maiores insuper summa ignominia afficiunt. Iam Iuvenalis, ut solet rem propositam initio satirae indicare, in versibus 1—5 illud ‚privum aliquid da' (cf. ‚censeri') paucis adumbravit, deinde v. 6 sq. eam sententiam breviter comprehendit, quam postea latius exponit. Qua re sive Ribbeckium secuti versus 4 — 8, sive cum Weidnero versus 6 — 8, sive exemplo Hermanni versus 5—6 delemus, desideramus aliquid, quod in prooemio satirae res indicat, quae postea prima parte carminis tractantur. Huc accedit, quod illud ‚quid prodest longo sanguine censeri' a protasi ‚si coram Lepidis male vivitur', ad quam quidem legibus sermonis revocantur, prorsus abhorrere videtur. Nam post hanc protasin exspectamus tale quid: quid prodest summo genere se iactare. Libentissime igitur acquiescam in O. Jahnii medela, qui versum 7 summis difficultatibus implicatum et insuper codicum testimonio non satis confirmatum e textu eiciendum esse coniecit.

Iam hic subsistat quaestio. Satis enim mihi comprobasse videor nullam causam esse, cur in Iuvenalis satiris duplicem recensionem a poeta ipso institutam statuamus. Teuffelio enim, qui solus cum aliqua ratione hanc opinionem persecutus est, praecipue fraudi fuit, quod partim verborum conexum non satis perspexit, partim identidem quandam proprietatem poetae non intellexit, semel etiam librorum manuscriptorum testimonio in errorem inductus est.

III. De interpolatione satirae sextae.

Quaestio de versibus spuriis apud Iuvenalem tantis difficultatibus implicata est, ut, quamvis viri docti saepius de hac re disputaverint, tamen nondum plane expedita sit[1]). Cuius rei causa est haec, quod codicum auctoritate fere prorsus destituti sumus[2]) et ubique quaestio argumentis sive ab arte et sermone poetae ipsius sive ab indole ac natura singulorum locorum diiudicanda est, qua ratione efficitur, ut libidini ac voluntati cuiuslibet latissimus campus pateat. Neque mirum est, quod viri docti in tam diversas sententias abeunt et iidem alio tempore aliter iudicaverunt. Sed ne in eosdem errores incidamus, quos a multis commissos esse videmus, in hac quaestione a sermone et ab ingenio poetae proficiscendum est.

Incipiat autem quaestio de versibus suspectis satirae sextae a versibus 121, sq., ubi alii alios versus perperam e textu eixerunt[3]). Atque proficiscamur a verbis ‚prostitit' et ‚osten-

[1]) De versibus spuriis apud Iuvenalem scripserunt: G. Pinzger: De versibus spuriis et male suspectis in Iuvenalis satiris. Vratislaviae, 1817. O. Ribbeck: Der echte und der unechte Juvenal. pg. 75, ff, pg. 164, ff. B. Lupus: Vindiciae Juvenalianae Bonnae. 1864. O. Meinertz: Vindiciae Iuvenalianae. Regimontani. 1866. O. Meinertz: Zur Kritik und Erklärung der Satiren Juvenals. Programm von Konitz. 1870. Nuper Doetsch: Vindiciae Iuvenalianae. Monasterii 1870. Sextum satiram praecipue ea de causa elegi, quod Doetschius eam in dissertatione non tetigit.

[2]) Satis notum est ipsum codicem Pithoeanum, cui omnium consensu summa fides tribuitur, versus, exhibere, qui leviter attendenti manum interpolatiricem produnt, et vice versa versus quosdam omisisse, qui salvo contextu omnino omitti non posse videntur.

[3]) Iniuria Heineckium (animadversiones p. 33) aliosque de versu 23 dubitasse iam supra demonstravimus. Neque est cur cum O. Jahnio versum 69 Iuvenali abiudicemus, si Ribbeckium secutus verba ‚atque a plebeiis

ditque-ventrem', in quibus interpretes haeserunt. In verbo enim ‚prostare' — deteriores libri tantum exhibent ‚constitit' pro ‚prostitit' — inest vis stupri faciendi, at ‚ostendere ventrem' nihil aliud est nisi se collocare, proponere. Jam sine dubio illud ‚ostendere' prius fit, quam stuprum ipsum; ex quo sequitur, ut verba, quo ordine in codicibus exhibentur, nullo modo apte posita sint. Haec autem difficultas nulla ratione tolli poterit, nisi aut versum 124 versui 123 anteposueris, id quod me iudice fieri non potest, aut sequentia (v. 125 sq.) aliquo modo mutaveris, quae medela adhiberi non potest, si cum Hermanno versus 125—126 delemus. Rectius igitur O. Jahnius Achaintrio duce in editione altera versus 124 et 125 transposuit. At tamen non prorsus rem acu tetigisse videtur; nam mirus sane sententiarum ordo exsistit, si Jahnii rationem sequimur, qui post ‚Lyciscae' comma posuit. Primum enim Messalina prostitit i. e. stuprum fecit, tum excepit intrantes et aera poposcit, denique ventrem ostendit. Equidem maiorem interpunctionem (:) ponam post ‚Lyciscae' ita, ut versibus 122—123 poeta in universum dicat de scelere, quod Messalina in se admisit, sequentibus autem illud latius describit. Jam elucet nihil perversius excogitari posse quam versum 126, qui quidem in codice Pithoeano deest, delere; nam desiderares aliquid, quod ad stuprum ipsum pertineret. Itaque nullam suspicionem movere poterit, quod codex Pithoeanus, ut modo dixi, hunc versum non exhibet, praesertim cum in illo libro identidem versus quosdam deesse notum sit, qui salvo contextu haud facile omitti possunt. Neque quisquam mihi persuadebit versum 130 ‚exemplo esse interpolatorum ingeniolum in exornanda turpidine lascivisse,' ut Ribbeckius opinatur[1]), et ‚acres praegressi versiculi colores explicando attenuare simulque poly-

longe Megalesia' cancellis circumcludas et tanquam in parenthesi posita cogites. Itemque laudo Weidnerum, quod non accessit ad sententiam Hermanni, qui versus 117—118 transposuit et post ‚Palatino' conjunctionem ‚et' addidit. Nam ut omittam, quae iam Weidnerus de figura, quam ὕστερον πρότερον vocant, rectissime obiecit, asyndeton tolerabile esse videtur, si compares VI, 446, XIII, 132.

[1]) l. c. p. 166.

syndeto naturalem orationis cursum praeter omnem necessitatem tardare', ut C. Fr. Hermannus iudicat[1]). Neque enim inanis repetitio in his verbis inest, sed illud ‚tristis abit' magis dictum est de Augusta lupanar modo relinquente, sed in verbo ‚recessit' poeta Messalinam domum suam redituram in mente habuisse videtur. Porro polysyndeton e Juvenalis ratione orationem consulto retardat et ad facinus Messalinae augendum pertinere videtur (cf. I, 82, VI, 315, 390, VIII, 150).

Transeamus nunc ad alterum locum, in quo Ribbeckius sine ulla causa haerere mihi videtur[2]). Versus enim 133—135 vir doctus, cum putet dici de muliere, quae imperandi cupiditate inflammata privigno venenum dat, quomodo antecedentibus commode coniungantur, se nescire dicit. Jam concedendum est, si re vera verbis ea sententia subesset, orationem hiulcam fieri, cum neque in antecedentibus neque in subsequentibus de mulieribus veneficis disseratur, sed demum v. 610 de hac re agatur. Sed videamus, num locum aliter explicare possimus. Poeta usque ad versum 132 mulieres impudicas castigaverat et, quomodo femina cupiditati et voluptati dedita ad vilissimam vitae condicionem descendere posset, exemplis Eppiae et Messalinae demonstraverat, quarum altera ad libidinem explendam coniugem senatorem relinquere non dubitavit, altera meretrix nocturnos cucullos sumere et tegetem Palatino cubili praeferre ausa est. Jam pergit: sed talia adulteria non turpissima sunt facinora, quae istae mulieres voluptati indulgentes in se admittunt (‚minimumque libidine *peccant*'), quin etiam omni genere veneni carminumque, quandoquidem cupiditatibus suis imperare non possunt (‚coactae imperio sexus, cf. XV, 138.), privignos, si modo resistant, cogere audent, ut libidini suae satisfaciant (conferas praecipue illud ‚hippomanes', quod huic rei servire notum est). Omnia igitur plana et perspicua sunt neque causa est, cur hos tres versus cum Ribbeckio a poeta alienos esse putemus.

[1]) In prooemio editionis suae p. XXIV.

[2]) l. c. p. 174.

Item errasse videtur Hermannus, qui versum 157, quam rationem ille vir doctus saepius perverse adhibuit, ab interpolatore quodam his duobus hemistichiis ‚pretiosior: hunc dedit olim barbarus incestae' dilatatum esse suspicatus est[1]). Primum enim pronomen ‚hic' hoc loco eandem notionem habet ac ‚talis' (cf. VII, 56., ubi ‚hic' et ‚qualis' sibi opponuntur; praeterea hoc dicendi genus satis tuentur hi loci: VI. 157, 267. XV, 65). Tum ‚hunc dedit olim barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori' nihil aliud est, si anaphoram a Juvenale saepe usurpatam omittas, nisi ‚hunc dedit olim barbarus Agrippa incestae sorori.' De collocatione verborum autem, quae offensionem aliquam praebere videtur, monendum est apud Juvenalem, si subjectum vel objectum cum adjectivo conjunctum sit, substantivum et adjectivum ita solere dirimi, ut substantivum in altera sententiae parte, in altera adjectivum ponatur. Conferas II 85 ‚Atque *Bonom* tenerae placent abdomine porcae et magno cratere *Deam* . . . ‚XIII 80 ‚per calamos *venatricis* pharetramque *puellae.*' Itemque fit, si poeta anaphoram adhibet, veluti III, 309. ‚Qua fornace *graves*, qua non incude *catenae.*' Simili modo poeta hoc loco, ubi et subjectum et objectum cum adjectivo conjunctum est, primum verbis ‚hunc dedit' adjectiva, tum substantiva adnectit. Pro ‚hunc dedit barbarus Agrippa' enim anaphora et solita verborum positione usus dicit: ‚hunc dedit barbarus, dedit hunc Agrippa; et pro ‚hunc dedit incestae sorori' similiter dicit: ‚hunc dedit incestae, dedit hunc sorori.' Jam si has duas sententias coniungas, illa verborum collocatio exoritur, quae editoribus suspicionem movit[2]).

Aliud exemplum, quo intellegitur accurate genus dicendi poetae proprium animadvertendum esse, praebet versus 188, quem Ribbeckius tanquam ineptam adnotationem eicit; atque his verbis sententiam suam commendat[3]): ‚nec posse servari (sc. versum) vel sequentia (v. 189, sq.) docent, quae necessario ad

[1]) Vindiciae Juvenalianae. Gottingae, 1854, p. 11.

[2]) De versibus 178—83, quos Ribbeckius eiecit, iam supra altera huius dissertationis parte disseruimus.

[3]) l. c. p. 165.

versum 187 ‚omnia Graece' referenda ne possent quidem intellegi, si Latini sermonis commendationem exciperent.' At ille prorsus neglexit apud Juvenalem pronomina demonstrativa ‚hic' ‚ille' promiscue usurpari, quod satis habeo breviter commemorare, quoniam O. Meinertzius (Zur Kritik und Erklärung der Satiren Juvenals p. 7.) rem exemplis luculenter illustravit. Exemplis a Meinertzio allatis fortasse addenda sunt haec III, 81. IV, 109. 136. V, 62. VI, 376. 417. 535. X, 226, sq. Sententia autem ipsa, quae continetur in eo versu, neque per se quidquam dubitationis habet et apte cum antecedentibus coniuncta est. Supplendum enim est ‚quam nescire Graece' et haec verba dicta sunt de Tusca et Sulmonensi, quae, ut solent homines provinciales et municipales, latine quidem male pronuntiant, at tamen linguam Graecam affectant.

Inani loquacitate, si Ribbeckio credas, additi sunt versus 209—11[1]). Ac primum quidem in suspicionem vocatur verbum ‚ardere', quod cum protervitate, qua ‚non unus' marito ‚rivalis dictatur heres' aut cum inconstantia relinquentis mox regna et flammea conterentis satis convenire negat. Sed, si quid video, conexum verborum non recte perspexisse videtur. Oratio enim inde a versu 200 ita procedit: Si non amore feminam in matrimonium ducturus es, ait poeta, nulla causa est, cur matrimonio operam des. Sin autem amore cum puella quadam coniungeris, at tamen te compares ad alteram Xantippen tolerandam. Nam ut te amet — nihil aliud enim inest in verbis ‚ardeat ipsa licet' — tamen non nunquam bilem tibi commovebit et quoquomodo te fraudabit. Qua re quisquis bonus maritus erit, qualem quaeque femina sibi optat i. e. quisquis amore puellam in matrimonium ducturus est, caveat ne matrimonium ineat, quia uxor, licet amore eius ardeat, saepius ipsum punget et offendet. Jam poeta in sequentibus talem Xantippen, quam amore conjugis ardentem sibi non finxit, nobis ante oculos ponit. Neque minus ea, quae Ribbeckius de sermone monet, facile refelli possunt. Veluti illud ‚tormentis gaudet amantis' non magis exaggeratum esse videtur, quam

[1]) l. c. p. 171.

quod idem noster Juvenalis scripsit II, 37: ‚Interea tormentum ingens nubentibus haeret.‘ Tum versuum 208 et 209 par exitus non offendet, si cum hoc loco comparabimus I, 87, III, 166. VII, 143. Denique ‚illi quisquis‘ nemini horridum videri poterit, nisi quem fugit a Tibullo eodem modo haec pronomina coniuncta esse: II. 3. 25. *Quisquis* inornatumque caput crinesque solutos Adspiceret, Phoebi quaereret *ille* comam‘. Similiter II, 4. 35. ‚heu *quicumque* dedit formam coelestis avarae, Quale bonum multis attulit *ille* malis.‘ Haec non minus abundanter dicta esse videntur, — quamquam hoc loco pronomen ‚ille‘ antecedit, apud Tibullum subsequitur.

Versum 279 Ribbeckius tribuendum esse contendit interpolatori, qui assumpto versus sequentis initio novum versum consuerit et verbis poetae subiunxerit [1]). Primum enim dicit se dubitare, num in carminibus Juvenalianis et psendoiuvenalianis, quae vocat, ‚tam invenusti numeri inveniantur, ut qui post fortem interpunctionem monosyllaba, quae adeo repetatur sequentis versus initio, voce claudantur‘. Sane haec durities ex ipsius Juvenalis satiris exemplis comprobari non potest; sed nostri poetae numeri, quamvis haudquaquam, ut nonnulli opinantur, legibus et arte quadam careant [2]), tamen non tam venusti et tam elegantes sunt, ut, quod Catullum et Horatium decuit ‚ab indole ac natura Juvenalis abhorrere putemus. Apud Catullum autem haec legimus c. XXIV. v. 7.: ‚Quid? non est homo bellus, inquies. Est.‘ et apud Horatium epist. I. 7. 60: ‚Scitari libet ex ipso quodcumque refers: dic | ‚Ad cenam veniat‘. Huc accedit quod haec durities, si qua est, comminuitur et quasi corrigitur a poeta ipso, qui sequentem versum ab eadem voce incipientem facit. Neque maioris momenti sunt, quae Ribbeckius dicit de particula ‚sed‘, qua affirmationem adulterii re vera comissi inferri posse negat. Juvenalis enim saepius, ut alii scriptores, particula ‚sed‘ rem novam ita inducere solet, ut antecedentia confirmet et augeat. Conferas VI, 88, VIII, 178 et exempla, quae Kühnerus in grammatica latina § 1624

[1]) l. c. p. 170.
[2]) v. c. Häckermannus Philologi tomo XII, p. 666.

congessit. Postremo quod cum equite servus componitur, neque ad Weidneri ineptam et artificiosam explicationem de vigore corporis confugiendum est: ‚Vor ihm (dem Ritter) hat bei der stolzen Matrone freilich der kräftige und frische Sclave womöglich den Vorzug‘; neque cum Ribbeckio durum et per se falsum genus dicendi pravitati interpolatoris cuiuslibet tribuendum esse putabimus. Nam ea, quae Iuvenalis XII. v. 15 scripsit ‚Ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi Nuper et incolumem sese mirantis amici‘ non minus neglegenter dicta sunt et ad nostri loci rationem proxime accedere videntur [1]).

Ribbeckio iudice Dobraeus [2]) recte damnavit versum 323, cuius rationem probabilem vix afferre possis [3]). Jam quae in libris manuscriptis leguntur ‚palmam inter dominas virtus natalibus aequat‘, sine dubio omni sensu destituta sunt. Sane recte dicitur ‚virtus natalibus aequat‘ vel ‚palma natalibus aequat‘, sed quid sit ‚palmam virtus natalibus aequat‘, non intellego. Qua de causa O. Jahnius, qui hanc difficultatem perspexisse videtur, in altera editione verba ita transposuit: . . . . . ‚Saufeia corona | Provocat ac tollit pendentis praemia coxae | Palmam, inter dominas virtus natalibus aequa est: | Ipsa Medullinae fluctum crisantis adorat‘. Sed quamvis per se fortasse haec probabilem sententiam admittant, tamen rectum sententiarum ordinem vix praebent. Itaque puto locum non melius expediri posse, quam si ex veteris scholiastae lemmate [4]) ‚palma‘ recipimus et Lubini explicationem sequimur. Versum enim, id quod plerique recentiores interpretes itemque vetus scholiasta perverse suspicantur, non pertinere ad ancillas, quarum condicionem palma virtutis obscenae dominarum natalibus aequat, inde colligas, quod in antecedentibus Saufeia, nobilis ista matrona, quae lenonum ancillas provocat, praemia

[1]) Similia exempla infra afferentur.
[2]) Adversaria II, p. 387.
[3]) Conferas ea, quae Ribbeckius l. c. p. 169 de hoc versu disputavit.
[4]) Quantum valeant scholiastae Pithocani lemmata, iam supra commemoravimus.

pendentis coxae sustulit i. e. lenonum ancillas virtute obscena superavit. Potius in verbis haec sententia inesse videtur: Saufeia lenonum ancillas provocat et palmam fert; ipsi Medullina, quae sine dubio alia matrona est, parem se praebet. Jam quae sequuntur ‚palma inter dominas, virtus natalibus aequat', non videntur dicta esse de ancillis, sed de matronis ipsis et a Lubino[1]) prorsus apte ita explicantur: quo quae fortior in actu illo, hoc etiam habebatur generosior. Verbum aequandi autem similiter usurpavit Hirtius in commentariis de bello Gallico VIII, 41. 5.

In versibus 335—36 Ribbeckium et verborum conexus et exitus versus 335 ‚sed omnes' offenderunt[2]). Ea, quae vir doctus de turbato contextu protulit, iam Teuffelius rectissime reffellit, cum admoneret hoc loco primum de festis Bonae Deae privatis, tum de publicis agi[3]). De exitu autem versus 335, qui Ribbeckio suspectus erat, haec habeo, quae dicam: Iuvenalis verba, quae nulla ratione separari posse videntur, ita distrahere solet, ut alterum verbum versum claudat, alterum in initio versus sequentis ponatur. Veluti saepius adjectivum et substantivum ita dirimuntur sicuti VI 25, XIV 218; I 42 ‚sic' versum claudit; I 97, III 310, V 20 particula ‚ne' extremum versus locum tenet; II 46 coniunctio ‚et' in fine versus ponitur; V 33 praepositio ‚de', VI 58 ‚in' a substantivo ita distrahitur; VI 645 particula ‚sed' versus exit; quae exempla aliis facile aügeri possunt[4]).

Versus 349—51 nec cum antecedentibus coniungi posse,

---

[1]) In editione Henninii p. 807.

[2]) l. c. p. 169

[3]) Uebersetzung der Satiren, p. 219.

[4]) Errat igitur me iudice Ribbeckius, si l. c. p. 117. de satirae primae versibus 137—38 haec scripsit: ‚Albern ist in der Beschreibung der Schüsseln die besondere Betonung des Altertums, die durch den Versschluss ‚et tam | antiquis' ganz besonders ins Gehör fällt.' Id enim fortasse in alios poetas cadit, neque, ut vidimus, in Juvenalem. Occasione oblata hic non omittam refellere ea, quae idem criticus de particula ‚nam' in versu 137 obiecit. Particula ‚nam' apud Juvenalem, ut saepius etiam apud alios scriptores, antecedentia auget e. g. III, 257. IV, 13. VII, 8. X, 201. 236. XIV, 50. —

quia custodes non pertineant ad mulieres infimas, nec transitus causa adiectos esse, quia Ogulnia (v. 352) non mulier infimae condicionis esset, Ribbeckius rectissime intellexit[1]). Perverse enim Doetschius his versibus hanc sententiam subesse voluit[2]): ‚Ea enim, ait, quam poeta hoc loco vituperat, libido, non est impudicitia mulierum, sed dandi et profundendi voluptas, quae plebeiae et nobiles feminae promiscue laborant'. Sed libido non est effusio, et praeterea, si his versibus eam sententiam, quam vir doctus inesse putat, subicimus, minime commode adnectuntur antecedentibus, quae quidem, id quod ex illo ‚iamque' concludendum est, his ipsis versibus continuari videntur. Neque tamen propterea cum Ribbeckio hos tres versus removendos esse puto. Nam non de profunda luxuria Ogulniae potissimum agitur, sed poeta istam mulierem carpit, quia, ut ludos spectet vel nudos levesque athletas adspiciens (cf. v. 356) voluptati libidinique satisfaciat, ‚argenti superest quodcumque paterni', profundere non dubitat. En habes vinculum, quo hae tres partes (v. 314—48, v. 349—51, v. 352—65) continentur: de libidine enim explenda ubique agitur. Nimirum hoc Ribbeckio concedendum est, hos tres versus magis ad sententiam, quae continetur hac tota parte satirae (inde a versu 314), convenire, quam antecedentia apte excipere vel cum subsequentibus artius coniungi posse. Sed id ipsum maxime proprium est Iuvenalis, qui rhetoricam quandam rationem secutus saepius res, de quibus agit, laxe et sine arte componere solet[3]).

Quae Ribbeckius[4]) de curiosae mulierculae descriptione v. 398—412, quam nimis et salibus et elegantia sermonis destitutam esse contendit, quam ut ipsius satirae auctori longe praestantissimo posset adscribi, protulit, sane omittere debemus.

---

[1]) l. c. p. 171.

[2]) l. c. p. 8.

[3]) Quid iudicandum sit de versu 413, quem Ribbeckius illi tribuit, qui ‚genuino partium satirae ordine soluto dilacerata et hiantia aliquo modo consarcinare studebat', Kiaerius in libello, qui inscribitur ‚Sermonem D. I. Iuvenalis certis legibus astrictum . . . . demonstrare conatus est L. O. Kiaer. Hauniae 1875' p. 15 recte intellexit, qui ‚vitium' pro concreto dictum esse iure admonuit.

[4]) l. c. p. 173.

Alia autem, quae vir doctus obiecit, ita comparata sunt, ut facile redargui possint. Ac primum quidem ‚audacia totam pervolantis urbem et coetus virorum frequentantis et cum ducibus confabulantis‘, quam Ribbeckius viragini magis convenire iudicat, non minus apta esse videtur ad mulierem curiosam, quae per urbem vagatur et res novas perscrutatur. Ne praeterea ‚siccisque mamillis‘ referamus cum Ribbeckio ad mulierem, quae nondum peperit, sed tamen maritata est, monere videntur verba ‚recta facie‘, quibus Hermanni interpretatio de ‚sudoris et trepidationis absentia‘ iam per se confirmatur[1]). Neque Ribbeckium offendisset ordo per se satis imperfectus et sane mirus, quo verbo ‚quid Seres, quid Thraces agant‘ interpositis domesticis secretis ab Armeniorum Parthorumque rebus separata sunt, si comparasset hos locos X 35. 220, XI 157. 185 sq., XII 15—16, ubi Iuvenalis similiter parum accurato et dissoluto ordine sententiarum usus est. Res autem, quas poeta deinde mulierem curiosam divulgantem facit, minime diversis temporibus tribuendas esse neque ex libris sed ex vita ipsa sumptas esse, ex iis intellegitur, quae disputavit Friedländerus[2]). Postremo verborum coniunctio ‚quam quae‘ pro ‚quam ut‘, in qua pronomen ‚quae‘ non modo abundare, sed etiam sententiam corrumpere et pervertere, satis defenditur exemplis a Kühnero ex aliis scriptoribus congestis in grammatica latina § 194 c.

Neque magis de interpolatione cogitandum est versu 460, quem quidem plurimi editores removent; neque tamen hanc opinionem argumentis uberius confirmant praeter unum Paldamum, qui de hoc loco ita iudicat[3]): ‚In proxime antecedentibus poeta divitias feminae eiusque insolentiam iam ita circumscripserat: „Nil non permittit-elenchos“. Itaque versus nihil nisi iam dicta rursus amplectitur. Quod per se ferri posset; nisi sequentia interpolationem manifesto coarguerent: Interea foeda... Nam pergitur in habitus descriptione, quae isto versu foede dirumpitur‘. Sed quantum video hic versus neque antecedentia

[1]) De codicibus Iuvenalianis recte aestimandis. p. 13.
[2]) Sittengeschichte III[5] p. 460.
[3]) Zeitschrift für Altertumswissenschaft. 1838. p. 1143.

complecti neque verborum conexum turbare videtur. In versibus enim 457—59 non tam de muliere divite agitur quam de munditia nimis exquisita et ambitione atque in subsequentibus poeta minime, ut Paldamus putat, in habitus descriptione pergit, sed quasi ab ovo incipiens latius describit, qualem ista femina ambitiosa in moecho se gerat, qualemque in marito. Equidem puto in hunc versum idem cadere, quod supra dixi de versibus 349—51; nam potius ad sententiam primariam quandam a poeta antea tractatam quam ad antecedentia et subsequentia pertinere videtur. Respicias per totam satiram poetam praecipue divites mulieres in mente habere, tollentur subito omnes difficultates. Poeta enim, ni fallor, hoc dicit: Vitiis et erroribus mulierum, quae usque adhuc perlustravimus, addenda est etiam ambitio; ergo nihil, ut aiunt, intolerabilius est quam femina dives.

Postremo Ribbeckius[1]) pro certo habet Iuvenalem liberandum esse versu 561. Nam primum ‚laevaque‘, inquit, putidum et claudum est ac ne consuetudini quidem veterum convenit; tum nec ‚longus carcer‘ Latine dicebatur longa custodia, sed aut longo spatio extentus aut fortasse longinquus, nec habet verbum ‚mansit‘ nomen subiectum, quo referatur. Iam ut nostram sententiam dicamus, illud ‚sonuit si dextera ferro laevaque‘ hyperbolice dictum est et verba ipsa per se non minus apte dicta sunt quam versus 658: ‚Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem Insulsam et fatuam dextra laevaque tenebat‘. ‚Longus carcer‘ autem non magis a sermone latino abhorret quam ‚longa saliva‘ VI 623 et ‚longo sanguine‘ VIII 1. Qua licentia denique poeta subiectum mutare soleat, iam supra non nullis exemplis demonstravimus. Qua re, quantum video, non est, cur hunc versum interpolatori cuidam tribuamus[2]).

[1]) l. c. p. 167.
[2]) De versibus 558—59 certum aliquid statuere non audeam, quia in codice Pithoeano postea additi sunt et salvo contextu deesse possunt.

VITA.

Gustavus Aemilius Adolfus Schönaich natus sum a. d. IV. Idus Decembres a. h. s. LXVIII in oppido Silesiensi Polkwitz patre Augusto matre Julia e gente Weigmann, quos praematura morte mihi ereptos lugeo. Fide institutus sum evangelica. Primis litterarum elementis imbutus in patria a. h. s. LXX adii gymnasium evangelicum Glogoviense, quod etiam tunc auspiciis Ludovici Guilelmi Hasper floret, cui viro praestantissimo optime de me merito has primitias, monumentum pietatis, sacras esse volui. Anno h. s. LXXVIII maturitatis testimonium adeptus Berolinum me contuli, ubi quinquies sex menses scholis interfui virorum illustrissimorum Bresslau, Curtius, J. G. Droysen, J. Droysen, Hübner, Kirchhoff, Lepsius, Scherer, Schmidt, Vahlen, Zeller, Weiss. Tum transmigravi Halas, ub adii scholas horum virorum doctissimorum: Dümmler, G. Droysen, Dittenberger, Hiller, H. Keil, Neumann, Schmidt. Seminarii philologi per sex menses sodalis fui ordinarius. Praeterea H. Keil et E. Dümmler ad exercitationes ab ipsis moderatas aditum mihi benigne permiserunt. Quibus viris omnibus gratiam habeo quam maximam semperque habebo.

Sententiae Controversae.

I.

Catulli carmen LXVIII non in duo carmina dividendum esse.

II.

Sophoclis versus Trachin. 780—781 sic scribendos esse:

κόμης δέ λευκόν μυελὸν ἐκραίνει, μέσου
κρατός διαρραγέντος, αἱμάδας θ᾽ ὁμοῦ

III.

Iuvenalis sat. XIII v. v. 16 sq.

„Stupet haec, qui iam post terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio consule natus:
An nihil in melius tot rerum proficit usu?"

non ad Iuvenalem ipsum pertinent neque quidquam ex iis concludendum est ad annum natalem poetae definiendum.

IV.

Ea, quae in catholico Ianuae e Cornuti commentario prolata sunt, non e Cornuto ipso, sed e Papiae et Ugutionis glossariis hausta sunt.

VITA.

Gustavus Aemilius Adolfus Schönaich natus sum a. d. IV. Idus Decembres a. h. s. LXVIII in oppido Silesiensi Polkwitz patre Augusto matre Julia e gente Weigmann, quos praematura morte mihi ereptos lugeo. Fide institutus sum evangelica. Primis litterarum elementis imbutus in patria a. h. s. LXX adii gymnasium evangelicum Glogoviense, quod etiam tunc auspiciis Ludovici Guilelmi Hasper floret, cui viro praestantissimo optime de me merito has primitias, monumentum pietatis, sacras esse volui. Anno h. s. LXXVIII maturitatis testimonium adeptus Berolinum me contuli, ubi quinquies sex menses scholis interfui virorum illustrissimorum Bresslau, Curtius, J. G. Droysen, J. Droysen, Hübner, Kirchhoff, Lepsius, Scherer, Schmidt, Vahlen, Zeller, Weiss. Tum transmigravi Halas, ub adii scholas horum virorum doctissimorum: Dümmler, G. Droysen, Dittenberger, Hiller, H. Keil, Neumann, Schmidt. Seminarii philologi per sex menses sodalis fui ordinarius. Praeterea H. Keil et E. Dümmler ad exercitationes ab ipsis moderatas aditum mihi benigne permiserunt. Quibus viris omnibus gratiam habeo quam maximam semperque habebo.

Sententiae Controversae.

I.

Catulli carmen LXVIII non in duo carmina dividendum esse.

II.

Sophoclis versus Trachin. 780—781 sic scribendos esse:

κόμης δέ λευκόν μυελὸν ἐκραίνει, μέσου
κρατός διαρραγέντος, αἱμάδας θ᾽ ὁμοῦ

III.

Iuvenalis sat. XIII v. v. 16 sq.

‚Stupet haec, qui iam post terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio consule natus:
An nihil in melius tot rerum proficit usu?'

non ad Iuvenalem ipsum pertinent neque quidquam ex iis concludendum est ad annum natalem poetae definiendum.

IV.

Ea, quae in catholico Ianuae e Cornuti commentario prolata sunt, non e Cornuto ipso, sed e Papiae et Ugutionis glossariis hausta sunt.

